QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XII. FEBRVARII,

M. PETRO CONSTANT, Doctore Medico, moderatore.

An qui Galeati nascuntur fortunatiores? 837

NASCENDI, intereundique lex vnica & æqualis consuetudo omnibus hominibus data est: viuendi verò modi pene infiniti, temperiei, morum & animorum non minor quàm vultus & faciei diuersitas, nec ab aliis orta principiis obseruari potest: corporis, animi & fortunæ dotes mensurâ inæquali singulis hominibus dispensantur. Nemo tamen ideo sorte vel fato felix aut miser æstimari debet; sapientia fati & fortunæ aut nescia, aut domina, quam regit vitam, ab vtriusque iure iniuriisque vindicat. Quisquis igitur sapiens est, securâ nauiget arte, fortunamque suo temperet arbitrio.

QVAM quisque optarit fortunam, eam nihil impedit quominus sibi adsciscat: volentem sequi, ducit labor improbus, nolentem trahit: si tamen optato fine non potitur, id neque fati, neque astri, neque sortis cuiuslibet, sed solâ suâ culpâ euenit: artem namque εὐτυχίη: inertiam, ἀτυχίη sequitur: sola ignorantia fortunæ mancipia creat, virtus sapientiæ pretium est. Sapiens autem quisquis est, ita acrem in omnes partes aciem intendit, vt semper videat sedem sibi ac locum, sine molestia atque angore viuendi, & quemcunque casum fortuna inuexerit, hunc aptè & quietè ferat, non contabescat molestiis, timore frangatur, nec scienter quid appetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat.

MEMBRANÆ (quæ si generationem partium spectes, nullis sunt posteriores, ne cordi quidem πρωτοπλάστῳ, hepati aut cerebro; si vsum, omnibus priores existunt, omnes enim contra externas iniurias tuentes communi vinculo nectunt & ὁλομελῆς, συντιμωρίας ἢ αἰσθήσεως cuiuscunque apposita organa fiunt) duæ tantùm in humano fœtu deprehenduntur chorion & amnion, quas ex semine & sanguine virtus formatrix educit; neque enim antiquorum medicorum temporibus innotuerat placenta, nec nostris allantois in homine vnquam deprehensa fuit. Illa siquidem vasa fulciat, vmbilicalia vterinis annectat (nullo tamen cotyledonum interuentu) & sanguinem quoquomodo elaboret, non tam tunicæ, quàm pancreatis aut iecoris vterini nomen merebitur: hæc zonæ in modum chorio exporrecta, animalia quælibet vtrimque dentata per medium corporis in vtero cingit.

QVALIS est nodorum vmbilici vis & energia ad fœcunditatem, talis est & galeæ ad felicitatem: at nodorum neque numerus, neque color, neque interualla, quibus inter se designantur, quidpiam certi circa conceptuum numerum, sexum & interualla denotant: imò quicquid de illis circumferri solet, solâ Pythagoreorum superstitione, aut vanitate Arabum non rei veritate fulcitur. Non est quidpiam ab amnio separatum galea, nec si eiusmodi foret, maiorem infanti felicitatem portenderet: vnde faciles sunt in credendo, non in perorando felices, quicunque eiuscemodi pelliculæ interuentu mira se in declamando præstituros autumant.

QVONIAM verò nemo fortunatus nisi sanus, nemo sanus, nisi cui mens sana in corpore sano, nemini denique mens sana cum corpore sano contingit, nisi temperato, in quo humores mensurâ æquabili & proportione [illegible] ἢ κατὰ νόμον æstimandâ, dispensari solent; sanè quicquid humorum proportionem mensuramue promouebit, aut conseruabit, illud animæ firmitatem, corpori robur, vtrique sanitatem, & homini fortunam conciliabit. Vnde cum galea nihil planè ad humorum mixtionem conferat, nihil animæ corporique addat (quæ quidquid in agendo conferunt, id totum temperamento debent) nihil quoque faciat ad nascentium fortunam necesse est.

Non ergo qui Galeati nascuntur fortunatiores.

Proponebat Lutetiæ ROBERTVS DEBONNAIRE, Ambianus. A.R.S.H. M.DC.XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Guenaut.
M. Nicolaus Braier.
M. Cyprianus Hubaut.

M. Guido Pa[illegible].
M. Iacobus T[illegible]art.
M. Vrbanus [illegible]neau Med. Reg.

M. Dionysius Guerin.
M. Ioannes Riolan Prof. & Med. Reg. & Reginæ Matris Archiat.
M. Michael Toutain.

